

Petrus de Vinea

*Ep. V 16 (Fidelitatis nostrae
cultoribus, quos in ambitu...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 16 (Fidelitatis nostrae
cultoribus, quos in ambitu...)*

gennaio 1245

Iustitiario Terrae Laboris, de colligenda pecunia pro
maritagio filiae suae.

1. Fidelitatis nostrae cultoribus, quos in ambitu regni
nostri Syciliae in uia pacis et securitatis deducimus,
maioris ostendere signa dilectionis non possumus, quam
si cum ipsis in communitate uirium magnificentiam
nostram cōmimus. 2. Et dum ab eis fastigia nostrae
maiestatis deferimus, paritatis apud eos materiam
conuenimus, ab experientiae fructibus fide nacta, qui,
dum in eorum sensibus nos ad humaniora disponimus,
deuotiores ipsos in nostris obsequiis experimur. 3. Et
ideo, cum pro maratagio filiae nostrae carissimae, quam
..., filio marchionis Misnensis, decreuimus copulandam,
a fidelibus nostris regnicolis subuentionem placeat
exhiberi, fidelitati tuae firmiter et districte precipiendo
mandamus, quatenus tertio kalendarum proximi futuri
mensis Aprilis, cum generalis collectae pecuniam
credamus possibiliter recollectam, medietatem totius
collectae presentis anni, de mandato nostro in tua
iurisdictione taxatae, per singulos iustitiariatus eiusdem
tuae iurisdictionis discretione prouida imponi facias
et recolligi, festinanter eam ad nostram Cameram
destinandam.